

EPISTULA LEONINA

LIV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
QUINQUAGESIMAM QUARTAM (54) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi contigit, ut septimanae tantum spatio praepararem Epistulam Leoninam quinquagesimam quartam tibi offerendam. In Latinum converti orationem illius defensoris poenalis, de cuius vitâ sentiis que iam legisti proximâ in Epistulâ Leoninâ (53).

Ferdinandus a Schirach in hac oratione, quam habuit praemio Kleistiano honestatus, loquitur **de notione veritatis**. Lege et mirare, quomodo hic iurisconsultus atque narrator illustrem rationem physicam a Varnerio Heisenberg inventam, quae dicitur "**relatio incertitudinis**", transferat ad disciplinam iudicandi et ad artem narrandi. Utinam ne omittas partem orationem finalem, ubi Ferdinandus exemplo Phrynes proposito dicit omnem veritatem inesse pulchritudini.

Pancratice vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Solis, 1^o m. Sept., a.2013**



**ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ
NOSCE TE IPSUM !**

FERDINAND VON SCHIRACH

DE LITTERATURÂ DEQUE VERITATE

Oratio, quam *Ferdinandus a Schirach* d.23 m.Nov. a.2010 in Berolinensi Theatro ad Aggerem naupegorum sito (“*Theater am Schiffsbauerdamm*”) habuit praemio Kleistiano honestatus. In Latinum convertit *Nicolaus Groß*.

Henricus de

Kleist d.22. m.Mart. a.1801 ad sponsam suam scripsit: »*Nescimus diiudicare, utrum id, quod nos verum dicimus, verê sit verum an nobis videatur tantum esse tale.*« Centum viginti quinque annis post Varnerius Heisenberg dixit: »*Realitas, de quâ loqui possumus, numquam est realitas ipsa.*« Hanc sententiam Heisenbergianam praeposui libro meo, qui inscribitur „*Scelera*“. Nescio, num sit quaedam affinitas inter mei et illorum cogitata – sed ab illis agitur de re, quam ego tracto ex longo iam tempore: de quaestione veritatis. Quaero enim veritas qualis sit in litteris et in causâ poenali.

Est quoddam **cinema magnificum a fratribus *Coen* confectum**, quod inscribitur: „*De Domino Crane(o) innotabili.*“¹ Eduardus Craneus est tonsor in quodam oppidulo habitans. Qui vivit molestiâ temporis affectus. Eius uxor rem habet cum possessore magni pantopolii. Difficultatibus exortis denique tonsor necat possessorem pantopolii. Primo Cranei uxor, deinde Craneus ipse homicidii accusantur. Eius defensor poenalis nomine est *Freddy Riedenschneider*. Solam propter Riedenschneideri personam non potes, quin diligas hoc cinema. Riedenschneider est cupidus pecuniae et habitat in deversorio lautissimo et cottidie comedit astacum cum spacellis² – sunt qui dicant omnes advocatos esse tales. In scaenâ huius cinematis optimâ³ patronus stat in custodiâ publicâ, tonsor eiusque uxor sedent in sellis ligneis, quidam investigator privatus sollicitus pervolvit codicillum suum. Conclave mensâ nonnullisque sellis exceptis est vacuum. Per fenestram lumen in patronum incidit. Qui ibi stat more theatro lucernâ illuminatus. In eius facie

¹ titulus theodiscus: “*Der unauffällige Mr Crane*”; titulus originalis: “*The Man Who Wasn't There*” (i.e. “Vir, qui non fuit ibi”), a.2001.– Dissignator scaenarum: Joel Coen – librum scaenicum conscripserunt: Joel Coen, Ethan Coen. Histriones sunt *Billy Bob Thornton*, *Frances McDormand*, *Tony Shalhoub* e. al. – Fratres **Joel David** (qui natus est d.29. m.Nov. a.1954 Minneapoli in Civitatum Unitarum urbe) et **Ethan Jesse Coen** (ibidem natus d.21.m.Sept. a.1957) sunt cinematum dissignatores, fabricatores, librorum scaenariorum auctores praemio Oscariano honestati. Argumentum: Ed(uardus) Crane(us), Americanus simplex lentusque, cuius uxor moechatur, semel in vitâ suâ consilium capit animo acri: Ut negotium facere possit cum dubio quodam viro alieno, nomine indicto per epistulam ab amatore uxoris suae postulat pecuniam sibi necessariam et minatur se alioquin proditurum esse moechnationem. At amator uxoris suae, cui Eduardus minatur, invenit, quis epistulam scripserit. Eduardus ab illo petitus in periculum vitae adductus moechum occidit. Deinde uxor Eduardi, postea Eduardus ipse ab astynomis comprehensus homicidii accusatur...

² orig. *Hummer mit Spaghetti*; angl. *lobster with spaghetti*.

³ cfr youtube <http://www.youtube.com/watch?v=5qFAYmkFNK0> “*Tony Shaloub talking about the uncertainty principle*” vel youtube <http://www.youtube.com/watch?v=N5RvDorEnMc> “*Heisenberg uncertainty principle explained in The man who wasn't there*”

apparent umbrae cancellorum. Hoc cinema cum sit albínigrum⁴, imagines sunt durae et intensivae et definitivae.



Tony Shalhoub personam gerens ipsius Freddy Riedenschneider patroni (cinema, c.t.: "The Man Who Wasn't There", a.2001)

Deinde patronus explicat rationem defendendi in causâ iudiciali adhibendam. Qui dicit: „*In Germaniâ est quidam catulaster. Cui nomen est Fritzius aut simile. An vocatur Varnerius? Nil réfert. Qui theoriam quandam invênit, qua explicat, quomodo res perquirantur, ratione scilicet científicâ, quomodo planetae circa solem rotentur, e quâ materiâ constent maculae solis, cur aqua veniat e pluitaculo⁵, ehem, haec res contemplanda est. At interdum observatione mutatur ipsa res observanda. Numquam certo scis, quid factum sit aut quid futurum esset, nisi naso tuo exsecrabili in eâdem re olfecisses. Itaque numquam aliquid certo scis. Res eo ipso mutatur, quod a te consideratur. Hoc illi nominant **principium incertitudinis**⁶ Scilicet hoc inepté sonare, sed ipse Einstein dicit hanc rem aliquatenus quadrare. Scientiae – perceptio – realitas – dubitatio. Dubitatio licita. Puto quo accuratius aliquam rem consideres, eo minus te scire. Hoc constat. Res vera demonstrata. Unica res videtur esse, quae valet. Ille Germanus huius rei ipsam formulam invênit.*“

Scilicet memet ipsum numquam intellexisse *relationem incertitudinis Heisenbergianam* – quisnam illam intellexit exceptis nonnullis physicis theoreticis, quibuscum vos certê non vultis semper cenare. Heisenbergius dixit

⁴ *albíniger, *albínigra, *albínigrum – theod. schwarz-weiß; angl. black and white. – Hoc adiectivum novatum invenitur in variis nominibus botanicis et zoologicis: e.g. Rhabdotis albínigra (scarabaeus quidam); Acontia albínigra (papilio quidam); Streptomyces alboniger (bacterium quoddam); Triticum aethiopicum Jakubz. subsp. aethiopicum var. *albinigrum* (Vavilov).

⁵ *pluitâculum, -i n. theod. *Dusche, Brause*; angl. *shower*.

⁶ **principium incertitudinis**. 2. incertitudo, -inis f. [GREGOR.epist.1,50; PHILOSTR.haeres.112]. theod. **Unschärfeprinzip**; angl. uncertainty principle; fr. principe d'incertitude; hisp. relación de indeterminación; catalan. principi d'incertesa; ital. principio di indeterminazione; ngr. ἀρχή της απροσδιοριστίας).

fieri non posse, ut duae alicuius particulae qualitates eodem tempore exactê mensurarentur. Hoc non eo effici, quod instrumenta mensurandi nostra essent parum exacta, sed esse problema principale. Ut rem dicam multo simpliciorem redditam:



Varnerius (Werner) Heisenberg physicus (1901-76)

Si locus alicuius particulae determinas, eo ipso necesse est, ut mutes eius energiam. Haec theoria publicata est a.1927, usque nunc nondum est refutata. Et quamvis mundus noster cottidie perceptibilis postea quoque remaneret aequus, quamvis hieme pergeret nix cadere, homines pergerent scribere mutuo epistulas amatorias et interficere, quamvis pergerent melodramata spectare et bella gerere – hac theoriâ omnia mutata sunt. Subito enim patefactum est nos hoc, quod putamus nos scire de realitate, reverâ non posse certo scire.

Henricus (Heinrich) de Kleist cum epistulam scriberet ad amatam suam, nondum exstabat relatio incertitudinis. Lêgi investigatores Kleistianos hanc epistulam tractantes saltim prius dixisse de *crisi Kantianâ*. Kleist a doctis dicebatur Kantianâ „Criticâ facultatis iudicandi“ („*Kritik der Urteilskraft*“) perlectâ animo demissus esse. Equidem hoc non credo: Homines in crises incidunt consiliis diremptis, spe deceptâ, amore, solitudine – at non libris lêctis. Sed saepe quaerimus eos libros, quibus animi nostri affectûs aut augeantur aut reddantur – ita, ut eligimus modos musicos. Invenimus auctorem, quem nobis scripsisse credamus. Kleistius invênit Kantium, qui sibi explicaret, quare locum, ubi consisteret, reperire non posset, i.e. id, quod dicitur realitas. Kleistius male se habuit, spes eius decepta erat, fabulae eius theatrae censurâ aut mutatae aut prohibitae sunt, nihil tam bene successit, quam speraverat, omnia eius consilia facta sunt irrita.



Heinrich von Kleist poeta Germanus (1777-1811)

Equidem scio, quid Kleistius senserit; nam hoc legitur in omni eius epistolâ. Îdem sensit se esse omnino alienum. Kleistius quamvis homines novisset opinione plures, quamvis nomine esset bene noto, vexabatur solitudine. Hic sensus artê cohaeret cum quaestione veritatis, qua Kleistius animadvertit nihil esse verum atque propinquum. Fortasse hac de causâ Kleistius linguâ haesitabat.

Quidam criticus litteraturae de aliquo ex libris meis dixit hunc esse „paene comprobabilem“, tamen nihil esse nisi »vitam mutuaticam«⁷ ideoque »rem litteraturae contrariam«. Haec est sententia mira. Ferê semper homines ex me quaerunt haec tria: Potestne omnis homo fieri homicida? et: Potestne fieri homicidium perfectum? et: Suntne verae fabulae, quas narras?

Affirmo omnem hominem fieri posse homicidam, et affirmo fieri posse homicidium perfectum necnon affirmo historias meas esse omnino veras. Sed eaedem non sunt verae, quia aequant realitatem, sed sunt verae, quia sunt litteratura. Animis fingite âcta iudicialia quattuor metra longa, aliquot milia paginarum, quibus insunt relationes astynomici⁸, protocolla interrogationum, arbitria, photographemata illius loci, ubi scelus est commissum. Animis fingite causam iudicalem per septuaginta horas factam. Deinde haec omnia compare

⁷ orig. „geborgtes Leben“. mütuâticus, -a, -um GELL.20,1 pecuniae mutuaticae usus.

⁸ orig. *Polizeiberichte*; angl. police reports.

cum narratiunculâ, quam de eodem scelere scripsi. Quid nunc est verum? Quid est reale? Narratiuncula vix quindecim paginarum an âcta quattuor metra longa? Medio aevo dicitur fuisse quidam chartographus⁹, qui fabricare vellet optimam tabulam mundi geographicam. Modulum elêgit, qui est unum ad unum. Scilicet hoc inceptum ad irritum cecidisse: Nam verum non oritur re plenê atque integrê descriptâ, sed ad formam redactâ. Hoc ad causam poenalem haud minus valet quam ad literaturam. Iudex ea tantum argumenta potest aestimare, quae non retineantur ordine causarum poenaliu[m] severo. Nihil a iudice auditur nisi ea quae iuri respondeant. Ergo in causâ poenali non describitur realitas, sed nihil nisi veritas causae poenalis, ergo realitas ad formam redacta. Aliqui vir uxorem occîdit. Non exstant argumenta culpae sufficientia. Astynomus primo est desperatus, deinde irascitur. Minatur viro tormentum; quo fit, ut vir confiteatur. In causâ iudiciali iudex dicit confessionem adhiberi non licere. Patronus viro suadet, ut taceat. Denique iudex non potest quin virum absolvat: Coram lêge enim vir non est homicida. Ergo veritas causae poenalis non est realitas.

In litteraturâ autem res similiter se habet. Etiam veritas in litteris descripta nulla est nisi ad formam redacta. Auctor scribit, quod scribit. Ea verba facit, quae sibi videntur esse apta. Est eius narratio – aut ut aliter dicam: Cerebrum auctoris est quodammodo tale cõlum qualis est ordo causarum poenaliu[m]. Itaque narratio numquam est descriptio realitatis. Narratio est – sic ut veritas causae poenalis – veritas litteraria. Fabula illius *Truman Capote*, c.t. „*In cold blood*“, descriptio sceleris fortasse omnium optima, secundum sententiam critici illius litteraturae, quem supra commemoravimus, nihil est nisi „vita mutuatica“ et „res litteraturae contraria“. Maximê mirum est, quod haec ratio aestimandi quadrat ad plerosque libros. *Leonis Tolstoi* „*Bellum et pax*“, *Roberti Musil* „*Vir qualitatum experts*“, *Ernesti Hemingway* „*Parisii – Sollemnitas in vitam agenda*“, *Erici Kästner* „*Cum essem parvus puer*“ – suntne hi libri omnes nunc libri reales? Libenter velim etiam scire, quantum „vitae mutuaticae“ insit „*Lolitae*“ *Vladimiri Nabokov*. Quacumque ratione gratias ago critico illi litteraturae, quod me omnino immeritum tantis viris addicit.

Quid nunc faciamus de notione veritatis, scientes nos non posse cognoscere veritatem? Num praestat ab eâdem desistere? Ne desistamus. Patiamur nos de veritate loqui non posse nisi theoriis effingendis. Hoc possumus etiam ipsâ in causâ poenali, ubi haec cognitio est clarissima eiusque effectûs sunt maximê horribiles. In aliquâ fabularum mearum quaedam mulier nocte accumbit ad natabulum. Quae ad caelum spectans cogitat esse miliardas systematum solarium in hac viâ lacteâ miliardasque talium viarum lactearum. Inter eas nihil esse nisi frigora et vacuitates. Scilicet, si ex quadam distantîâ res consideramus, ea quae facimus sunt nullius momenti. Ciliorum ictûs tantum tempore vivimus, deinde submergimur eodemque spatio temporis perbrevis ne id quidem possumus

⁹ +chartographus, -i m. cfr Charles Du Fresne du Cange (Ducangius), Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis, tom.3, Index XV.

facere, quod videtur esse simplicissimum: Non possum realitatem percipere talem, qualis est. Vita nostra plena est dubitationum et plerisque nostrum mors videtur esse res saltem odiosa. In his autem omnibus agitur de nihilo.

At in fine tamen gaudeo, quod licet mihi dicere Kleistium falso iudicasse. Necnon Heisenbergium. Licet huic rei contradicant Kantius et physice theoretica et omnis deliberatio rationalis: Est quaedam veritas, veritas felix nec refutabilis – pulchritudo. Etiam si omnia perdimus, remanet pulchritudo. Eiusdem causâ operae pretium est scribere.

Phryne mulier quaedam saeculo quarto ante Christum natum in Graeciâ vixit. Quae erat ἑταίρα, mulier omnium pulcherrima, viri Athenienses eidem se dedebant. Aliquando eadem accusata est impietatis: Dixerat enim se esse tam pulchram quam ipsam deam Venerem. Causa iudicialis est incohata. Accusator de crimine Phrynes rettulit – illam divinitatem sibi arrogavisse –, testes affirmaverunt id quod Phryne dixerat. Spes eius erat aspera, causa iudicialis facta est periculosa. At subito Phryne fecit aliquid inexpectatum. Quae surrexit, in medium auditorium iit, singulos iudices diu aspectabat, unum post alium. Eius defensio erat perfecta: Quae capillis solutis vestimenta deposuit. Nuda stabat coram viris. Iudices in scamnis lapideis sedentes oculis defixis aspectabant prudentem hanc mulierem mirabilem. Omnes autem unâ voce iudicaverunt: Phryne absoluta est.

Pulchritudo nos servat – ei inest omnis veritas.

**E theodisco sermone in Latinum convertit
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS



Phryne ante iudices stans. A.1861 pinxit *Jean-Léon Gérôme*.



Phryne coram iudicibus se denudat. A. 1904 pinxit *José Frappa*.

DE RAPTORE HOTZENPLOTZI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoria, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfridi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvari...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:
www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS

spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

**HANC EPISTULAM LEONINAM
QUINQUAGESIMAM QUARTAM**

EL 54

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

Die Solis, 1. m. Sept., a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>